

**www.e-rara.ch**

**Quaestiones miscellaneae ex l. fructus 45. ff. de usur. & fructibus §.  
Titius. Si de feud. def. 2.f.26. c. Raynutius. X de test**

**Bornitz, Johannes**

**Basileae, anno 1608**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-21097>

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Quæstiones Miscellanæ

Ex l. fructus 45. ff. de Usur. & Fructib.  
 §. Titius. Si de feud. def. 2. F. 26.  
 c. Raynuvius. ꝑ. de Test.

Quas

D. A. G.

Ex Decreto atque auctoritate Amplifis.  
 ICTorum in celeberr. Rauracorum  
 Academia Ordinis  
 Doctoralium in Viroque Iure insigniorum  
 & privilegiorum consequendorum

causâ  
 publicæ disquisitioni  
 subijcit

IOHANNES BORNITIVS  
 Torgensis

Ad 17. Octob. horis locoq; solitis.

BASILEAE  
 Typis Ioh. Jac.  
 Genathl.  
 Anno 1608.





*NOBILISSIMIS,*  
*Strenuis juxtà & omni virtutum*  
*eruditionisq̄ genere Cumu-*  
*latiss. Viris*

DN. ANDREÆ Pflugen in Gröbitz/r.  
DN. HEINRICO à Friesen } Fratrib. ger-  
& } manis in  
DN. CAROLO à Friesen } Rötaw/r.

Domini patronis & fautoribus  
fuis unicè colendis

D. D. D.

*Auētor.*



THE S. I.

*Ex l. fructus 45. ff. de Usur. cō*

*Fruct.*

**V**ARIA variorum de mente huius legis mens est; quæ veritati sit proximior collatis aliis legibus, & principiis juris paullo altius repetitis videbimus.

II.

Regulare est, quod ex re mea nascitur, vel occasione eius provenit, meum esse: quod generali fructuum appellatione ut plurimum venire solet; qui ad eò dominium rerum sequuntur, ut eius pars censeantur.

III.

Quo sensu & in rem actione instituta, ut omnis accessio, ita & fructus veniunt, etsi in libello de iis nominatim nihil sit expressum; Restitutione quippe rei & fructus continentur. Quod de fructibus qui lite contestata & iudicio cœpto proveniunt expeditum est; Eorum verò qui antè proveniunt, nominatim mentio in libello facienda est.

IV.

Atque hoc in universalibus actionibus, videlicet hæreditatis petitione, & similibus planum est: hîc enim, cum & fructus augeant hæreditatem, omnes

repeti possunt; à malæ fidei possessore non tantùm si percepti sint, sive consumti sint sive extent, sed & qui honestè à petitore percipi potuerunt.

V.

Bonæ fidei autem possessor eos tantùm restituit quibus locupletior est tempore litis cōtestationis.

VI.

Diversum aliquando fit in rerum singularum vindicatione: hinc enim distinctio bonæ & malæ-fidei possessoris hoc quoque operatur, ut ab hoc fructus repeti queant, ab illo non usquequaque.

VII.

Malæ fidei namque possessor fructus omnes restituere tenetur, non tantùm quos quocunq; modo percepit, sed & quos honestè percipere potuerit petitor, frustra distinguente Acc. inter eum qui tit. possidet, & qui eum non habet.

IX.

Hæredem quoque ignoratione suâ malæ fidei possessoris vitia non excludere, quin de fructibus restituendis teneatur, cum communi Dd. sententia magis puto.

IX.

Huc refero quemlibet possessorem post litem contestatam, & eum qui bona fide possedit: cum postmodum omnis causa, adeoque quicquid habiturus fuisset petitor tempore litis contestatæ restituendum sit, quo numero & percipiendi fructus  
com-

computantur. Lite enim cōtestata in mala fide constituitur, vel certè prædoni æquiparatur.

X.

Multò magis hoc verum est de eo qui ab initio bonæ fidei possessor pòst alienum se possidere resciscit.

XI.

At bonæ fidei possessor ante litem contestatam fructus interim suos facit, non tantùm quos industriâ suâ paravit, sed & quos natura spontè produxit.

XII.

Suos autem facit sive à se sive ab alio perceptos, etsi nondum consumserit, extantes tamen tempore litis contestatæ ab eo avocari queunt.

XIII.

Quorsum igitur legis nostræ casum referemus, quæ de donatione inter conjuges invalida loquitur? Sanè ut quis bona fide possidere dicatur, legitimo titulo haut opus esse arbitror, quin & juris ignorantia quem in bona fide constituere queat.

XIV.

Malo tamen & hîc donatarium malæ fidei possessorem dicere, & excipi à regula: Ut eos saltèm fructus lucretur, qui industriâ eius proveniunt: cùm & aliis multis casibus benignius cum eo, quàm cum malæ-fidei, imò & bonæ-fidei possessore agatur.

X V.

*Ex §. Titius. Si de feud. defuncti.*

2. F. 26.

Ut prior textus in jure civili, ita hic §. jure feudali de jure agnatorum quod alienationem feudi concernit, obscurus est, sententiis Interpp. in varias hinc inde partes distractus: Ex quibus ut præcipuas saltèm hîc delibemus, præmitto primò: In feudo novo, quod propriam naturam feudi habet ( nec enim de aliis speciebus jam mihi sermo est ) nihil juris esse agnatis ex latere venientibus, nisi quatenus de eorum jure vel successione in prima investitura est expressum. Unde alienato hoc feudo jus revocandi illis non competit.

XVI.

Filios quoque & descendentes alienantis feudi tam novi quam antiqui alienationem revocare non posse, juri feudali magis consentaneum esse arbitror.

XVII.

Ex quo consequens est, quòd de revocatione factæ alienationis disponitur hoc §. omninò de feudo antiquo, quod à paterno jure feudali non distinguitur, & de agnatis à latere conjunctis, non de filiis vel descendantibus accipiendum esse.

XIIX.

His ergò duplex ad revocandam alienationem via patet: Jus sc: protimiseos, & successione: Quo-  
rum

rum illo statim, etiam vivo adhuc alienatore, & ante alienationem, precio tamen, quod emtor dederit, aut dare voluerit, reddito: hoc verò & absq; precio refuso tùm demùm uti possunt, quando successionis ordo ipsos tangit, defuncto sc: sine liberis vel agnatis proximioribus alienatore.

### XIX.

Ad utramque revocationem nihil interesse arbitror, an in extraneum, an in agnatum ulterioris gradus alienatio facta sit; Et ita principium §. nostri accipio, de parte feudi alienata in agnatum ulterioris gradus, qui idem alteram eiusdem feudi partem jam possederat.

### XX.

Utrunque hoc jus duobus modis finitur: 1. Si alienationi factæ consenserint, 2. Præscriptione. Et ut ne jure successorio agnatus alienatum feudum revocare possit, expressè eum consensisse oportet: Ne autem jure protimiseos uti possit, sufficere puto si legitimè requisitus emere recu-  
saverit.

### XXI.

Uno ex proximis agnatis consentiente, iis qui pari sunt gradu præjudicium nullum creari patet: sed an superstitute consentiente in solidum, an pro rata revocare queant? Illud de jure protimiseos, hoc de jure successionis verum puto, adeoque hoc casu jus accrescendi locum non habuerit.

## XXII.

Successorium tamen edictum utroque jure cessare arbitror : ut proximioribus agnatis consentientibus , quamdiu supersunt , qui ulteriori sunt gradu , neque jure protimiseos , neque successorio uti possint.

## XXIII.

Illud etiam , q̄ consentientes hæredibus quoq; suis , qui non proprio sed prædecessorum suorum jure utuntur , præjudicium creent.

## XXIV.

In præscriptione de tempore est controversia: Ego jus saltèm protimiseos annali silentio à tempore scientiæ computato : alterum triginta annorum lapsu finiri puto : hocq; ipsum proximioribus à morte alienatoris , iis verò qui ulteriori sunt gradu non nisi proximioribus è medio sublatis currere.

## XXV.

*Ex c. Raynutius. Extr. de  
Testam.*

In notat. hoc c. ut omittamus , quæ de tertiavia & matri ex hæred. Raynutii jure quodam ( ut ex textu colligunt Cc. ) Longobardico debita dicuntur : Illud primum ex eodem colligi non posse arbitror : Quòd compendiosa , uti vocant , substitutio à pagano impuberi directis verbis facta post  
pu-

pubertatem obliquetur: Quemadmodum nec hoc  
jure ullo expressum puto.

XXVI.

Quæ verò ab eodem fit verbis communibus, ut  
post pubertatem fideicommissaria est; Ita ante pu-  
bertatem directa censetur etiam matre existente  
in medio.

XXVII.


Illud utique in aperto est, Canonem hunc liberis  
fideicommissio gravatis, & legitimæ, & quartæ Tre-  
bellianæ deductionem simul concedere: Con-  
trarium legibus civilibus magis consentaneum  
puto.

XXIIX.

In Trebellianam fructus interim percepti à libe-  
ris primi gradus fideicommissio gravatis beneficio  
Constitutionis Zenonianæ *l. jubemus. C. ad Trebell.*  
non imputantur: Quod etiam eo casu verum puto,  
quo secundum Canonem nostrum & legitima &  
Trebelliana detrahitur.

XXIX.

Quod hinc dicitur, fructus à tempore litis con-  
testatæ post mortem Adjectæ perceptos in Trebel-  
lianam imputari, non verò antè; juri quoque  
civili consonum esse  
puto.



COROLLARIA.

1.

*Rerumpub. tantum tres esse species simplices, nullam mixtam, principiis politicis convenire put o.*

2.

*In iis an Monarchia primas ferat?*

3.

*Regni quærendi modi legitimi sunt, electio, successio tam hereditaria, quam legitima, justum bellum.*

4.

*An eò etiam præscriptionem referemus?*

5.

*Regem nasci, quam sumi, consultius put o.*

6.

*Masculis magis, quam fœminis, & pri-*

primogenito soli, quàm aliis successione  
tribui.

7.

*In jure primogenitura & avi succes-  
sione nepotem ex primogenito, secundoge-  
nito filio; ut & in successione Patru-  
natum ex secundogenito ter-  
tio præferri.*



F I N I S.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILOSOPHY DEPARTMENT

1100 SOUTH EAST ASIAN AVENUE

CHICAGO, ILLINOIS 60607

TEL: 773-936-3300

FAX: 773-936-3300

WWW.CHICAGOEDU.EDU

WWW.PHILOSOPHY.CHICAGOEDU.EDU



1998